



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Divinæ disciplinæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

mescat insolenter, neque adversis perturbetur: in utramque vero fortunam ita se comparat, ut æquum & insuperabilem ad omnes casus animum præ se ferat.

HUMANÆ DISCIPLINÆ. CAP. VI.

*Scientiarū
diviso.*

Acribro ad panificia devenire, non admodum importunum fuerit. In panificiis autem fermentum non ultimum habet locum. Id in sacris literis multa significat, sed nos id quod ad rem, quæ præ manibus est, facit, interim desumemus. Ajunt vero fermentum inter alia symbola humanas etiam disciplinas indicare. Scientiarum siquidem, ut plerique dividunt, nonnullæ humanæ, nonnullæ divinæ perhibentur. Humanæ sunt, quæ sermonis variatione subjiciuntur, unde vulgo etiam humanitatis studia dicuntur. Divinæ, quæ perpetuo constantiq; tenore quodam perseverant, eodemq; semper habent modo, atq; parte hac ipsam referunt divinitatem. Quod enim semel justum est (de perfecto loquor) semper justum est. Qui semel calefacit ignis, calefacere numquam desinit, dum ignis est. Neque divina deficit providentia, neque perpetua mundi gubernatio. Ita Moralis, Physica, & Theodologia, cum divinitate consentiunt. Humanas autem disciplinas appellant, Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam. Atque hoc illud est (ut sentit Origenes) quod fermentum in sacrificiis non admittitur. Per fermentum enim, uti dicebamus, Theologi humanas has intelligunt disciplinas, quarum quidem vis & materia in locutionibus ipsis omnino consistit. Accedunt tamen ad ministerium, quia sermo purus, quem docet Grammatica, eloquentiæ splendor, vis atq; copia, quam per Rhetoricam assequitur, & disputandi ratio, quam indicat Dialectica, ministri sunt omnium scientiarum.

DIVINÆ DISCIPLINÆ. CAP. VII.

*Ubi etiam
num id fa-
ciunt no-
tatur.*

Quo igitur hieroglyphico humaniora studia significentur, expositum est: super est de divinis quibus ea signis hieroglyphicisq; figurarentur, explicare. Divina vero, quod primum sibi signis poseant, nisi quod ipsam indicat divinitatem: cujus circulus est hieroglyphicus, uti latius in figurarum Mathematicarum commentario disseruimus: nempe quod in ea figura neque principium, neque finem invenire sit, quod æternitatis est proprium. Huiusce rei ratione habita, Ægypti Deum ex circuli figura intelligebant. Per se vero cum Jovem cœli circulum dicerent, sacrificia illi se facere putabant, ubi cellissimam speculam conscendissent, Jovemq; cœli circulum nuncupassent: & quæ multa eo loco tractavimus, hic ad repetendum minimè necessaria.

ENCYCLOPÆDIA. CAP. VIII.

Non temere igitur Ægypti sapientes, Græcique antiquiores qui priusquam sophismata mortalium mentes implicuissent, simplicius ac forte melius philosophabantur, quarundam disciplinarum complexum Encyclopædiam vocaverunt: nempe quod per circulorum quorundam colligatione inter se copulata, ab ampliori quodam circulo complecterentur, cujus nomen est Theologia, intra quem tres alii circuli centris & circumferentiis adeo invicem compliciti designabantur, ut unius centrum alterius principium & circumferentia esset, in hunc scilicet modum. Per illos quidem interius ductos, alia quadam ratione, quam superius dictum sit ex Origene, humanas disciplinas indicantes, quæ moribus ratione rerum, quæ naturæ vi instituta, considerata, examinataque, mortalium mentibus infedere: per illum vero

